

I. N. J.

DISSERTATIO HISTORICA  
De  
METHODO INVESTIGANDI  
AHASVERUM  
IN SACRIS INCLYTUM  
REGEM,

*Quam*

Ex Benevolo Indultu Amplissimæ  
FACULT. PHIL. ABOENSIS;

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO

DN. ISR. J. N. *esselius*

Gr. & Orient. LL. Prof. Regio  
& Ord.

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

*Publico examini exhibet*

SVENO DAHLMAN.

In Acad. Audit. Max. d. 9. Martii,  
An. CH. 1707.

---

Exc. Jo. WAL.

J. N. J.

DISSERTATIO HISTORICA

DE

METHODO INVESTIGANDI

AHAZVERUM

IN SACRIS INCLYTUM

REGEM

Quam

Ex Benevolentia Iohannis Amplexus

FRUCTU PUBL. ABOENSI

PRESIDE

OLAO CALLEBAERIMO

Dr. I. N. J. N. J.

Gr. & Orient. LL. Prof. Regio

& Ord.

The Summus in Philosophia Honoribus

Publico examine exhibet

SVENIO DAHLMAN

In Acad. Audit. Max. & Min.

An. Chri. 1707.

Exc. Jo. W. A.

*Viro Clarissimo,*

DN. SVENONI DAHLMAN,  
Scholæ Viburg. CON-RECTORI laudatissimo,  
*Amico veteri & honorando, S. P.*



um alii Tibi, hac occasione, de egregio  
in studiis bonarum literarum edito spe-  
cimine, iisdemque eo usque proVectis,  
ut quam primum honores Academicos  
capessas, sine dubio gratulaturi sint;  
non committendum putavi, ut tantilla in re, offi-  
cium quoque meum, meliore forte jure Tibi debi-  
tum, desiderares. Nam multos per annos, optime  
mihi fuisti cognitus, quibus Senior Nationis tuæ,  
quæ heic operam literis dederat, eam partim in his  
instituisi, partim auctoritate & exemplo moderatus  
es & prævisi. Quo factum est, ut multi inepti alio-  
quin futuri, laudabiles in illis fecerint profectus, &  
qui facile seduci possent, retinerentur, qui vero ab-  
errarunt, non valde sane multi, in viam sint redu-  
cti. Qui tibi, nisi ingrati velint haberi, & referent,  
& habebunt ad minimum gratiam: Ego v. eorum  
officiorum, quibus quippe non mediocriter fui sub-  
levatus, sic recordabor, ut si eadem pensare neque-  
am, commemorare atque extollere certe non inter-  
mittam. Ceterum ut ut alios hac ratione juvisti, se-  
duloque ad meliora transduxisti, non tamen te tui  
fuisse negligentem, sed quod supererat tempus, me-  
lioribus studiis impendisti, cum alia specimina, tum  
præ-

præfens declarat Disputatio, cujus usus in vita elu-  
cet, sed quæ juxta elaboratu, ni fallor, fuit difficilis;  
Quid enim est jucundius, aut utilitate commenda-  
bilis Historia, ea præsertim, quæ res sacræ continen-  
tur describunturq; quæ cum inter alia Elogia & hoc  
à Cicerone decoretur, quod sit *Testis temporum*; non  
potest non videri chronologica ratio tibi negotium  
in hac re facessisse, ut nihil dicam de investigatione  
personæ, cui Ahasueri nomen tributum, cum alii Da-  
rium Hystaspis filium, alii forte alium eum, fuisse ex-  
istiment, sed qui, illa inventa, facile deprehenderetur.  
Quomodo sine dubio inter omnes accuratiores  
Chronologos constat, eundem Xerxem Darii hujus  
filium in historia Græca & Latina tantopere com-  
memoratum fuisse, cui Esthera quam Herodotus  
Amestrin vocat, regia pompa nupsit, Quæ cum  
tu diligentius excutias, & quid tenendum sit, mon-  
stres; conatus industriaq; Tua laudanda merito ve-  
nit, docens quippe quibus studiis occupatus atq; de-  
lectatus fueras, utilibus videlicet & aliis proficuis. In  
quibus porro ut pergas, non opus habes mea admo-  
nitione, tua sponte satis incitatus. Mihi itaq; gaudeo  
& Tibi gratulor de illis, & de tam Eximio vitæ insti-  
tuto. Optolongam vitam & felices successus, Patro-  
nos imprimis benignos, quo occasio non desit dona  
quæ Tibi sunt concessa impendendi in reipublicæ ac  
Ecclesiæ commodum, atq; ipse inde fructum exopta-  
tum dignumq; percipiendi. Vale! scrib. p. p. Abonæ  
27 Febr. 1707.

MATTHIAS SWEDER,



§. I.



vis inter Reges Medorum vel Persarum celeberrimus ille Ahasverus fuerit, adeo dubium esse videmus, ut perlectis variorum de eo opinionibus, incertiores fieremus, nisi ex singulis collatis inter sese circumstantiis, secundum leges Historiæ veræ, in quantum licet, veritatem exquireremus. Et quoniam res hæc oppido controversa est, ad evitandum tædium, prætereuntes prolixas allegationes, breviter subjiciamus oculis, quam invalidis nitantur rationibus, qui aliquem sive ex Medorum sive Persarum Regibus, præter Xerxem, ad hoc fastigium evehere sustinent.

A

§

## §. II.

**J**AM Ahalverus non potuit esse quisquam ex stirpe Nebucadnezaris, aut Regibus Persiæ, qui exiguo tempore regnarunt, præsertim post Artaxerxem Mnemonem; quia nec nomina ipsorum, neque imperii magnitudo, neque res gestæ, aut temporis circumstantiæ hoc permittunt.

## §. III.

**N**equè facile cum Syncello & Cedreno aliisque concedimus hunc Dario Medo honorem, cum nondum plane evictum sit, hunc Darium & cum Astyage sive Apanda & Cyaxare, quem Xenophon introducit, at filium Astyagis facit, eundem fuisse. Ad hæc, cum omnium primus Cambyles Ægyptum, Darius Hystaspis Indos domuerit, tanto Darius Medus versus orientem & austrum vix est potitus imperio, quantum illud Ahalveri fuerat. Quod eo minus de Astyage dici potest, quo certius ex

He-

Herodoto constat, hunc nunquam sibi subjecisse Babyloniam. Et si vel maxime Astyages cum Dario Medo idem foret, Dario 120 provincias, Ahasvero 127 paruisse. Sed & Darius, si Ahasverus fuisset, diu Persis Medisque & Babylonii imperitasse, ultra annos 12 debuit, non exiguo tempore Judæis intensus. Quorum aliqua si ægre conciliari cum rebus Astyagis possent; nam Persas quidem sub sua ditione habebat: at Susam tamen ante Darii Hyfaspidis, a quo aucta & illustrata est, tempora, urbs regia per excellentiam dici nequivit. Medus etiam ille, teste Daniele, imperium accepit Babylonis, annos natus 62, quibus si adhuc 7 vel 12 adderentur anni, ejus utique ætatis fuit, ut non admodum multis delectatus videatur puellis. Neq; ex Jerem. c. 25: 12. & c. 29. 10. atq; Dan. 9: 2. post Cyrum nullos prorsus in provinciis Persarum dispersos fuisse Judæos conficitur, ut ex §. 13. infra patebit. Sed quicquid in favorem hujus sententiæ, ex

ætate Mardochei vel aliunde obtenditur, id omne diluit Scriptura Sacra, quæ Darium Medum & Ahalverum velut duos Reges, nominibus, tempore rerumq; circumstantiis diversissimos ponit.

## §. IV.

**C**Ambyfen fuisse Estheræ maritum Joan. Lichtf. asserit, adjecto cōmento Artaxerxis Assveri, & ante ipsum, præter alios, Schelomo Jarchi ad Esth. c.1. scribit. ויהי כימי אחשורוש מלך פרס היה שמלך תחת כורש לסוף שבעים שנה של גלות בבל: Verum etsi 14 annos Cambyfi attribuat Lichtfoot. & adhuc plures Ctesias, hic magis Herodoti acquiescimus Testimonio, fatentis eum 7 annis 5 mensibus solum regnasse. Unde breve ipsius imperium inter perpetuas turbas ac bella non patitur, ut dimidio anno convivia celebrarit, aut iis imperitarit provinciis, quæ post ipsum demum subjugatæ leguntur, aut annum regni duodecimum expleverit.



**D**ario Hystalpis, quem multi viri magni cum Esthera conjungunt, impedimento est, non solum, quod in privata sorte regnum adeptus, in 20 provincias illud diviserit: Sed & quod â primis fere regni auspiciis, exercitum, cui præerat Otanes, in Samum ablegarit, eaque occasione deficientibus Babylonis, diu post annum secundum, quod non obscure ex Herodoti Thalia colligitur, in obsidenda Babylone, primum abfuerit, dein adversus Scythas profectus, postea, ut testatur in Erato, Melpomene & Polymnia Herodotus, Indica, Græcaque expeditione & Ægyptiaci belli apparatu, ne unquam tertio aut septimo anno Duces habere Susis potuerit, prohibitus. Uxores denique hic Darius, præter Parmin Smerdis & Phædimam Otanis, duxit Atossam & Artystonam Cyri filias, quo regnum acceptum regalibus nuptiis stabiliret.

Quæ certe à scriptore gravissimo; qui eo tempore vel paulo post vixit, adjectis circumstantis, quod inde Artabazani Xerxiq; de successione certamen fuerit, rite tradita, conjugem Hebræam excludunt. Hæc ulterius inde firmantur, quod nec in libro Eldræ, nec Nehemiæ, nec Estheræ usquam videatur injecta Darii Hytaspidis mentio; nam si Darii hujus, qui Cyri coætaneus erat, permisso, templum Hierosolymis instauratum fuisset, certe Archivorum forulos, quod observat Rupertus, ad inquirendum Cyri edictum, non excussisset. Quod sane rem fuisse omnino vetustam, ex Nehemia patet, qui in genealogias eorum, qui primi in Judæam remigraverant, sollicitè inquirere necesse habuit.

## §. VI.

**N**euter Artaxerxes huc pertinere potest, quamvis Josephus antiquitatum Judaicarum scriptor, imo Suidas aliique plures pro Longimano pugnent, sed  
nnl-

nullis rationibus nixi. quippe in aëre  
 piscantur illi, qui ex nominibus solis,  
 vel fortuita aliqua similitudine argumen-  
 ta desumunt, ubi ceteræ, circumstantiæ  
 non consentiunt. Nam idem *μακρόχειρ*,  
 occiso Xerxe ab Artabano, cum defi-  
 cerent subacti populi, & quidem potis-  
 simi, si Torniello fides habenda, Medi  
 Assyriique, potentia Ahasvero digna  
 non florebat: nec ipsi inter perpetuos  
 apparatus bellicos, tantum otii erat, ut  
 tertio regni anno, tam splendidum 180  
 diebus convivium celebrarit, dum acer-  
 rimo statim cum Ægyptiis Græcisque  
 bello, in quo aberant quoque Duces i-  
 psius, qui tamen Ahasueri convivio  
 Esth. 1. 3. excepti feruntur, & per mul-  
 tos postea annos implicabatur, ut refe-  
 runt Diodorus Siculus lib. II. & Torniellus,  
 qui in annalibus V. T. hoc fusius de-  
 ducit ac Josephum confutat. Unam præ-  
 terea, teste Ctesia, habuit Longimanus  
 conjugem Damaspianam & tres concubi-  
 nas, cum Ahasuerus duas uxores duxe-  
 rit,

rit, præter pellices 400. Ipsa denique temporis circumstantia ex libro Esdræ, Ahasuerum poni ante Artaxerxem primum & Darium Nothum ostendit. Cui etiam e § 11 infr. robur accedit haud contemnendum, ubi ea, quæ huc pertinent, exacte inter se congruunt.

§. VII.

**N**on fuit omnino Ochus, ut Edwardus Simsonius, cum aliis à Doct. Calovio citatis, somniat, Estheræ maritus; cum neque post Xerxem fuisse ullum apud Persas Regem magnum, Plato in Epitaphio observet: neque post Artaxerxem Mnemonem dici possint Judæi dispersi in Persarum fuisse provinciis; nec simile quidquam aliud in rebus Ochi, breviter ab Adamo Ruperto enumeratis, occurrit, nisi quod Diodorus siculus, eum alio nomine Artaxerxem ostendat, dictum fuisse. Verum recordari debuisset Simsonius, id boni duntaxat ominis causa factum, quemadmodum ipse Diodorus lib. 15. fatetur.

## §. VIII.

**F**raudi fuit quidem Eusebio, Abulpharajio, Tornielo & aliis, ea similitudo, quæ inter Artaxerxem Mnemonem & Ahasuerum apparet; unde quoque auctor hujus opinionis Eusebius, hoc ita sibi videri tantum ait. Nihilominus, cum hæ duæ, quæ vel Artaxerxi Mnemoni, vel Xerxi conjugium Estheræ adscribunt, sententiæ, præcipuæ ferme hactenus fuerint, earum priorem accuratius paullo nunc examinandam suscipiam. Præter alia vero multa, quæ Mnemoni opponi possunt, deprehendimus inter *ἀπλῶς ἀδύνατα* esse, ut duæ Ahasueri Reginae, quas tamen non simul habuit, conferri queant cum tribus illis Artaxerxis Mnemonis, quas, si Statira, ut Cæsiae contradicit Plutarchus, veneno non fuerit sublata, omnes simul habuit Artaxerxes. Vasthi enim anno tertio regni Ahasueri repudiata est, Statira autem Artaxerxis vixit diu post bellum

lum adversus fratrem Cyrum finitum,  
 antequam veneno sublata dicitur; quam-  
 vis Plutarcho vix credibile videatur,  
 quod Paryfatis nurum veneno necarit,  
 τέκνων κοινωρόν ὅτι βασιλεία τρεφομένων, Quod  
 quamvis ita factum fuerit, nequaquam  
 potuit esse Vasthi, quando Esth. 2. 1.  
 Ahasuerus: הלל וגג רשן הן רכי Pho-  
 tius autem ex Ctesiae excerptis fate-  
 tur, ὅτι ὀργή διὰ ταῦτα τῆ βασιλείως πρὸς τὴν  
 μητέρα, καὶ σύλληψις τῶν ὑπηρετῶν ἐυνύχων  
 αὐτῆ, καὶ αἰκισμὸς καὶ ἀναίρεσις, quod Stati-  
 ram tam fidam conjugem iustulisset.

§. IX.

**D**einde, Esthera ad Ahasuerum dedu-  
 cta est, anno regni ejus septimo;  
 Atossa vero & Amestris, Artaxerxis fi-  
 liae Patri nupserunt non anno septimo;  
 sed utique postquam ad ætatem nubilem  
 pervenissent. Ideo etiam hæc con-  
 jugia, inter postremas ejus res gestas,  
 referuntur à Plutarcho, gravissima ob-  
 jurgatione adjecta, ὅτι Ἀτоссαν ἔιχεν,  
 ἢ ἄ-

ἔρωτα ποιησάμεν ἡ γυναῖκα ἡ δὲ ἐν νόμον.  
 Si quis autem objecerit, Statiram ante  
 regnum ductam ab Artaxerxe fuisse, ut  
 citius maturescere filia potuerint, me-  
 minisse oportet, has Artaxerxis filias  
 Tiribazo desponsatas fuisse, protracto  
 vero tempore retentas, & demum, teste  
 Plutarcho, in matrimonium assumptas.

§. X.

**E**x historiae itaque in Estheræ libro &  
 Plutarcho repugnantia, firmissimum  
 nunc argumentum petitur, quod Aha-  
 sverus non fuerit hic Artaxerxes. Nam  
 Ahasuerus regnasse dicitur ab India usq;  
 ad Æthiopiam Est. i. i. & tributum terræ  
 intulisque impoluisse Esth. io. i. Si vero  
 limites imperii Persici sub hoc Artaxerxe  
 consideremus, primo quidem ad  
 austrum, testatur Plutarchus, defecisse  
 Ægyptum, ejusque recuperandæ spe  
 excidisse Artaxerxem, Pharnabazo &  
 Iphicrate ducibus inter se dissidentibus:  
 tum versus septentrionem, ubi contra

Cadufios ad mare Caspium sitos pugnavit Artaxerxes, atq; ad tantas angustias redactus est, ut jumentis solum cæsis vivere cogeretur exercitus. Ad occidentem demum ejus angustius fuisse, quam olim imperium Persarum, ex formula Pacis Antalcideæ in Xenophontis Hellenic. lib. 5. liquet. Ubi non omnes, quæ Asiæ tribuuntur, insulæ, Artaxerxi traditæ sunt, præter Clazomenas & Cyprium. Quare cum angustiores termini sub Artaxerxe Mnemone essent, quam ut Æthiopas Indosque imperio complecteretur, insulis etiam potissimis in mari Ægeo sitis, privatus esset, haudquamquam dici potest, regnasse ab India usq; ad Æthiopiam, aut insulis maris tributum imposuisse, quæ optime in solum Xerxem quadrant.

## §. XI.

Quod vero maxime est observandum, describunt S. literæ Dan. ii. 2. quartum Regem Persidis tanquam potentis-



simum, & qui omnem vim converteret  
 adversus Græcos, summam vero pom-  
 pam ac splendorem ostentaret : decla-  
 rant etiam Ahasuerum fuisse potentissi-  
 mum ac magnificentiæ deditissimum.  
 Esth. I. 6, 7. nominant Ahasuerum in tex-  
 tu authentico nunquam nisi Ahasuerum,  
 quod nomen etiam LXX interpretes in  
 memorabili illo loco Esdr. 4. 6. retinent.  
 Nam Hebræū & Targumicū אשורוש, est,  
 ut loquitur Scaliger Can. Isag. l. 3.  
 Οξυάρης vel ξέρξης vel Ασασήρα pro a-  
 picum varietate ; quo nomine maritus  
 Esther vocatus, cui omnia, quæ Xerxi,  
 conveniunt, opes, tempus, nomen u-  
 xoris, nomen ipsius Regis. Unde ver-  
 sio libri Estheræ Syriaca longe antiquis-  
 sima, nomen Xerxis Persicū *Achshirash*  
 adhibet. Cæterum quod in nonnullis  
 latinæ versionis exemplaribus Esd. 4; 6.  
 post Ahasuerum addatur, ille est Artaxerxes,  
 in toto vero Estheræ libro Αρτα-  
 ξέρξης pro Ahasuero apud LXX con-  
 stanter retineatur ; quando versio latina

Hieronymo vulgata dicta ex LXX interpretibus expressa, à Hieronymo vero ad Græcam, quæ in Origenis hexaplis sincera erat, castigata sit, ac primum ab Hieronymo versio nova latina ex Hebræo textu confecta, cum pristinis coaluerit; teste Waltoni Diss. de LL. Or. §. 68. & 72, manifestissimum est, nomen Artaxerxis, e vulgari posterioris ævi consuetudine irrepsisse, adeoque ita demum ex iis profluxisse fontibus, qui adversus Originalem Textum, nulli nisi Artaxerxi priori nomen ארתחששתא & posteriori ארתחשתא constanter attribuentem, nihil auctoritatis obtinent.

## §. XII.

**D**escribunt denique sacræ literæ Ahasuerum, quod Judæos vetuerit condere templum בתחילת מלכותו Esdr. 4. 6. quod etiam anno duodecimo decretum de perdendis Judæis ediderit, Esth. 3. 7, 10. Quæ tanto minus dici possunt de Artaxerxe  
Mne-

Mnemone, quanto certius constat eum describi in sacris literis, quod nunquam Judæis intensus, post Darium Nothum restitui rempublicam judaicam passus sit, & anno regni septimo miserit Esdram ad restaurandam urbem, duodecimo rursus anno Nehemiam, qui anno ejus 32 reversus est, republica jam plane restituta. Adeoq; cum Sanballetes Nehemiæ æqualis, Alexandro Gazam oppugnantem auxilium tulerit, ac Nehemias c. 12. 22. & Jadduæ & Darii videl. Codomanni mentionem faciat, rectissime inde Scalliger de Em. Temp. l. 6. Nehemiam ad tempora Alexandri M. pervenisse concludit. Unde sequitur ad Artaxerxis posterioris ævum, Nehemiam quoque pertinere, qui cum Zorobabelem Cyri ætatem attingentem, at sub Dario Notho templum reædificantem, exceperit, nec ab alio Artaxerxe quam Mnemone (uti nec Zorobabel sub alio Dario quam Notho, secundum Diod. Sic. 11. annorum rege, templum absolvit) ablegari potuit.

## §. XIII.

PRÆterea indicat lib. Estheræ c. 3: 8. & c. 9. 20. Judæos sub imperio Ahasueri fuisse dispersos in omnibus ejus provinciis: Josephus autem lib. 10. c. 11. scribit, à Nebucadnezare populum captivum in Babylonica regione collocatum, atque idem lib. 11. c. 4. Sed perperam hujus migrationis autorem Darium Hyf. faciens, testatur; ὅτι περιπέμψαντες, ὅτε ἀρχιεὺς αὐτῶν Ἰησῆς καὶ Ζοροβάβελος ἀρχῶν, ἦδ' ἐπὶ τῆς χώρας συνήγαγον εἰς Ἱερουσόλυμα πάνθημὲν μηδὲν προθυμίας ἀπολιπόμεναι. Hic vero Zorobabel & Josua sub Cyro primum cum reliqua multitudine profecti Esdr. 2. & 3: 7. c. 4: 3. sub Dario Notho tandem templum condidere Esd. 5. 2. Et quamvis Esdras c. 7: 13. 16. ostendat, sub Artaxerxis Mnemonis anno septimo, dispersos adhuc in regno Artaxerxis & c. 7: 7. c. 8: 1. seqq. collectos Hierosolytam fuisse Judæos, probe observanda est particula *יד* c. 7: 7. quæ pauciores illos

illos indicat in Judæam reversos, qui apud Persas hætenus manserant. Hinc evidentissimum est, anno Artaxerxis Mnemonis duodecimo Judæos in Babylonia non fuisse dispersos, verum Artaxerxem & Ahasuerum, duos reges inter se diversissimos.

§. XIV.

**S**i quis adhuc ex injecta mentione anni septimi Artaxerxis Esdr. 7: 7. & septimi Ahasueri Esth. 2: 16. Similitudinem aliquam inter hosce duos arguere velit; idque maxime, cum Neh. 2: 6. per Reginam Regi assidentem, quæ statura quoque vocabatur, intelligi Estheram suspicetur Toraniellus, observet quæso, memorari Ahasuerum Esth. 1: 3. convivium splendidum 180 per dies celebrasse anno regni tertio; cum ex profanis scriptoribus gravissimis constet, Artaxerxem Mnemonem anno regni sui tertio, haudquaquam tantum habuisse otii, ut dimidium annum voluptatibus

corporis impendere potuerit, dimi-  
nuto jam imperii robore, ac divisa quasi  
cum fratre Cyro, qui regnum quoque  
affectabat, potentia: quin potius angu-  
stis pressus, sollicitus maxime fuerit,  
quomodo fratris Cyri turbulentis con-  
siliis artibusque feliciter obsistere posset.  
Præsertim cum Diod. Sic. lib. 14. Cyri  
motum describens testetur, anno Ar-  
taxerxis, ut videtur, secundo, τὸν Φαρ-  
νάβαζον ἀκέσσαντα τῶν λόγων, σφραγίσσασθαι  
τὴν Ἐπαγγελίαν, καὶ πέμψαι πρὸς ἄνδρας  
ὑπὲρ ἰστών Ἰῶ βασιλεῖ δηλώσαντας.

## §. XV.

Quamvis autem inter initia regni Ar-  
taxerxis, Cyrique expeditionem in  
Asiam, moram aliquam intercessisse, Xe-  
nophon πρὸς Ἰῆς ἀναβ. mox ab Exordio,  
& Plut. in vita Artax. non obscure in-  
dicent; Diod. tamen Sic. singulos annos  
quibus reconciliata illa fratrum amicitia  
ægre cohæserit, recenset, ac describit,  
quomodo Cyrus quatuor fere primis  
Ar-

Artaxérxis annis bellum adversus eum apparaverit. Cujus initia Xenoph. l. c. adeo clare depingit, ut singulos dies itineris & castra Cyri enumerarit, quæ habuerat, antequam ad κέναζα quingentis à Babylone stadiis, ubi prælium quoque commissum est, perveniret.

## §. XVI.

Coronidis loco duo jam observanda veniunt, & primum quidem, quod Diod. Sic lib. 14. dicat: ὁ δὲ βασιλεὺς Ἀρταξέρξης καὶ πάλαι μὲν ἦν ὠδὴν Φαρναβάζου πεπυσμένος, ὅτι στρατόπεδον ἐπ' αὐτὸν ἀθροίζει λάθρα κύρος, καὶ ὅτε δὲ πυθόμενος αὐτῷ τὴν ἀνάβασιν μετεπέμπετο τὰς πανταχοθεῖν δυνάμεις εἰς ἐκβάτανα τῆς Μηδίας. Quod anno ejus contigisse secundo, supra ostensum. Alterum est, quod idem Diod. d. l. scribat: ὅτι κατὰ τὴν τῶν χρόνων Ἀρταξέρξης μὲν ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς κατὰπεπολεμηκῶς κύρον, ἀπεσάλκει Φαρνάβαζον ὠδὴν ἀληψόμενος πάσαις τὰς ὀπίθαι τῆς σατραπείας: præterquam quod

multos in Asia excitatos tumultus à

Græcis militibus, cum ex Xenophonte,  
tum Diod. Sic. & Plutarcho constat.

§. XVII.

Quare fieri non potest, ut hic Artaxerxes aut fuerit Ahasuerus, aut anno regni tertio, convivium splendidissimum celebrarit, cum nec Susis adesset, nec Duces copiarum ibi haberet, verum Ecbatanis, & deinde in iis Babylonem colligendis occuparetur, nec reliquum tempus post devictum Cyrum & pacem Antalcideam innumeris turbis plenissimum, voluptatibus tribuere posset.

Ex his omnibus constat, nullum inter Persidis Reges, præter Xerxem, posse Estheræ maritum constitui. Quod cum prolixius demonstrare, res meæ non patiantur, hisce supersedeo, submisse ac officiose rogans, ut B. L. si quid in stilo minus gratum ejus palato occurrerit, æqui bonique consulere velit.

FINIS.



*In*  
Disputationem de Methodo inve-  
niendi **AHASVERUM**

*Clarissimi Viri*

**SVENONIS DAHL-  
MANNI**

Scholæ Trivialis Wiburg.

CON-RECTORIS di-  
gnissimi,

*Gratulatio Syriaca.*

כ  
לכא דמלכא אחשורשא  
במלכא נתגלה השא דרשא  
רחמא דרחמא מדברא מליותא  
דלמנא מחווא כדברא מליותא  
מטלחי מלך לך ליקרא חפיותא  
חרותא בשמיה ושוכחא תליותא

ANDR: DEGERMAN.

Ad

AD CON·RECTOREM  
Scholæ Wiburgensis Meritissimum  
Philosophiæ Candidatum  
*Clarissimum,*

DN. SVENONEM DAHLMAN  
Amicum & Fautorem æstumatissimū,  
*Gratulatio :*



Septima maturis exacta est messi-  
bus æstas,

Septima jam tristi, frigore sæ-  
vit hyems;

Cum mihi, post nullos, DAHLMAN, me-  
morande sodales,

Primum Theseâ, junctus amicitia.

Sed pia simplicitas ac fallere nescia virtus,

Intemerata stetit, tempus in omne, tua.

Hæc mihi semper erunt, imis infixæ  
medullis :

Est magnū noster, quod tibi debet amor.

Aulus eras tandem nitidæ cõmittere luci,

Condere & historicæ nobile molis Opus.

Magnanimum Assuetum, Regali jure po-  
tentem,

Et Xerxem Medū, nil nisi nomen idem,

Esse docent vere *Dahlmanni* scripta polita;

Quæ doctas inter non moritura manus.

Lau.

Laudis summa Tuæ est, solvent Præco-  
nia Mulsæ,

Augebit livor, Phœbus ad astra feret,  
Ipse ego felici, successu lætor amici ;  
Omnes atq; boni, gaudia concipiunt.  
Ominor ut jam jã, redimitus tēpora lauru  
Aonii incedas, portio clara chori. (ris,  
Accipe quæ paucis, Tibi festinavimus ho-  
Dum tuus ardentem præcipitavit amor.  
Sic valeas semper, sic te Tua sentiet ætas,  
Sic ad pacta Tibi, Sidera serus eas !

JOH. NEELMAN.

Då

CON-RECTOREN OCH PHIL. CANDID.

Den Åhrebörne och Högskollärde

Herr SWEN DÅHLMAN!

Sin AHASVERUM manligen förswarade/  
yttrade sig i denna Sägne. Sång / des tro-  
gneste LandzMan.

Siunges effter sin egen Melodie ;

I.

**S**nom Dälders tåta Wallar  
Såg iag Nymphers lärda Star/  
Med hwar annan gå i par/  
Echo liufwa Sång dem kallar/  
Then the höra alla dar. Lyck.

2.  
Lycklig skattas den som slagit  
Op sitt Liäll wid Auræ dahl/  
Och i höga Scholans Sahl/  
Har the dyra Fruchter tagit/  
Af thet lärda Folckets tahl.

3.  
Hwad jag nu om Dalar gwäder/  
Hoppas jag det tyda rätt/  
På Herr D U H E M A N som så nått/  
Fattat med en flychtig siäder/  
Elams gamla Konga ått.

4.  
Therför myckin åra winner/  
Then sin Konst behändigt gör/  
Ja / wår Effterwerld det spör/  
Som i tiden wål besinner  
Det Fru Fama priisa bår.

5.  
Clio i odödlig tanelka/  
Herr CON-RECTORS möda bår/  
Sij! hur' willig hon nu är/  
Blommor til den Cranken samelka/  
Hwilken hon en S W E N förår.

SAM: DYCANDER.

